

Levinus Pouchen    Jacob Thile


## **Disputatio Theologica De Baptismo**

Regiomonti: Segebadius, 1637

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786504234>**

Druck    Freier  Zugang





A-D A.Ob 52 b. 6.  
A-K A.H  
26y A.C  
A-F A-E  
20y A  
A.H A.D  
34y A-D  
A.Ob A.F  
A-G A.D  
A-G A.F  
A-C A-G  
A-F A-C  
A.H A-Ob  
A.C A.C  
A.Ob A.C  
A-E A.B  
A-F 38y  
A-D A  
A-F 32y  
A.C  
A.Ob  
A.C  
A.C  
A-D  
A  
24y A.F  
A.H  
A.F  
31  
A.Ob

52

Fa-1092 (52.)

DISPUTATIONES THEOLOGICAE MISCELLANEA.  
Tomo hoc XCVII. comprehensæ.

1. De Triplici Officio Christi. Præf. 25	De Michaeli Dehmi.
2. De Problemate Theologico, de Anticulus Filii de Ascensione Christi in Coelos quicquam deiget vere Corporis, et Sanguinis eius. Præf. 26	De Sente in S. Coena. Præf. D. Celestino Mylenta.
3. De Interpretatione Scripturae S. L. Mylio	6. De Poenitentia Bestiarum Nivini Præf. ad Ion. c. 3. comm. 2. s. Præf. Joh. Fulenco Mayero. Licent. 27
4. De SS. Scripturae Auctoritate, Perfectione ac Perspicuitate. Pr. M. El. Wejmamo.	7. De Sigillo Confessionis. Pr. D. Johan. Zeno. 2 uel. 28
5. De Hermeneutica vera et falsa. ad 2. Pet. 1. 7. 20. 21. Præf. D. A. Debelio.	8. De Numo Confessionario. Non Præf. 29
6. De Cognitione Dei definitiva, an debeat Pr. M. Joh. Wejmamo.	9. De Satisfactionibus propriis pro peccatis in hac vita. Pr. D. Joh. Dehmi. 30
7. De Sanctissimo Trinitatis Mysterio. Pr. Sebast. Niemamo.	10. De Regula Juris Naturæ. Pr. D. Debelio. 31
8. De Personarum divinarum distinctione, an et quanam illa sit. Præf. Eodem.	11. De Confecto Pontificiorum Septe Sacramentorum Numero. Pr. D. Joh. Ernesto Gerharo. 32
9. De Actione Dei prima in tempore, quæ dicitur Creatio. Pr. M. Joh. Wejmamo.	12. De Baptismo. Pr. M. Lev. Pouchenio 33
10. De Permissione divina græ peccata. Pr. Christiano Chemnitio.	13. De Quæst. Cas. Cum Absentibus quid agendum in SS. Synaxi. Præf. 34
11. De Apparitionibus Daemonum. Pr. D. Joh. Mejnhero. 35	14. De Analyssi quæst. 1. Cor. 10. Præf. D. Joh. Dehmi. 36
12. De Natura et Quidditate Luminis Gloriosa. Pr. D. Joh. Ernesto Gerharo.	15. De Fide in Messiam Patriarchali ex Genes. 29. 9. 13. Pr. D. S. Schmi. 37
13. De Peccato Veniali. Præf. Eodem.	16. De Donis Operibus. Pr. M. I. Niemamo. 38
14. De Peccato in Spiritum Sanctum. Pr. M. Joh. Wejmamo.	17. De Honoru Operum Necessitate. Pr. D. Joh. Ernesto Gerharo. 39
15. De Phrasi Scripturae, qua Deus dicitur Indurare et Excœcere. Pr. D. S. Schmi. 40	18. De Clavis Ligantis. Pr. D. Jambaw. 41
16. De Vinibus Liberi Arbitrii in Conversione. Pr. D. Sebast. Niemamo.	19. De Novæ paxi et Novæ ex. Præf. 42
17. De Actione Dei prima ab æterno, quæ dicitur Prædestinatio. Pr. M. I. Wejmamo.	20. De Purgatorio exustum q. Papias. Pr. D. Joh. Adamo Scherlero. 43
18. De Phrasi Scripturae, Deletionis à libro Jute. Præf. D. Sebast. Schmi. 44	21. De Reliquis Christi et Sanctorum Casu cultu. Pr. D. S. Niemamo. 45
19. De Poemina Circumdante Virum, tanquam novo, quod creavit Dominus, ex Verem. 31. 40. 22. Pr. Habichhorstio. 46	22. De Resurrectione Mortuorum. Pr. M. Lev. Pouchenio. 47
20. De Aphorismo Joh. Ch. Verbum Caro factum est. Pr. M. Joh. Wejmamo.	23. De Resurrectione Impiorum. Pr. D. Johanne Mejnhero. 48
21. De Aphorismo Theolog. de Inventione, Fily Dei Domini X. I. C. Præf. Eodem.	24. Contra Empactas Promissionis Adventus Christi Ultimæ. Pr. D. Wejmamo. 49
22. De Aphorismo Paulino ex 1. Tim. 3. 16. Pr. D. S. I. Christophoro Ottone. 50	25. De Gemitu Creatura intelligentis. Pr. D. S. I. Christophoro Ottone. 51
23. De Deo manifestato et in carne. Præf. D. S. I. Christophoro Ottone. 52	26. De Appellatione ad supernum Iu. Præf. D. S. I. Christophoro Ottone. 53
24. De Parabolis Calvinæ Nestorianus. Præf. D. S. I. Christophoro Ottone. 54	27. De Appellatione ad supernum Iu. Præf. D. S. I. Christophoro Ottone. 55
25. De Parabolis Calvinæ Nestorianus. Præf. D. S. I. Christophoro Ottone. 56	28. De Appellatione ad supernum Iu. Præf. D. S. I. Christophoro Ottone. 57
26. De Parabolis Calvinæ Nestorianus. Præf. D. S. I. Christophoro Ottone. 58	29. De Appellatione ad supernum Iu. Præf. D. S. I. Christophoro Ottone. 59
27. De Parabolis Calvinæ Nestorianus. Præf. D. S. I. Christophoro Ottone. 60	30. De Appellatione ad supernum Iu. Præf. D. S. I. Christophoro Ottone. 61

Collecta à M. Antonio Ulrico  
Comp. Tubinga. Anno. 1680  
D. S. I. Christophoro Ottone.



DISPUTATIO THEOLOGICA  
De  
BAPTISMO.

Quam Præside

Admodum Reverendo Clariss: & Excellentiss:  
VIRO

Dn: M. LEVINO POUCHENIO

SS. Theol: Professore, Elect: Brand: Conci-  
natore Aulicō, Præceptore ac Promotore suo  
perpetuum observando.

*Placide ventilationi subijcit.*

JACOBUS THILE Lubec:

*Ad d: 20. Junij in Auditorio magno, horis  
matutinis*



REGIOMONTI

Typis LAURENTI SEGBADL.

M. DC. XXXVII.

35.

36

37.

38

39.

40

41

PHYSIOLOGIA  
D A P T I S M O

Quarta Editio  
Ab Andrea Reusio Classico Excellentissimo  
1718

Dr. M. LEVINO POUCHENIO  
S. Theol. Professor, Elect. Brandenburg. Consistor.  
Pastor Aulicus, Praeceptor et Promotor suo  
perpetuum celebrando.

Placidus non solum sapientia  
JACOBUS THIE LABBE  
Add. re. Jussu et auctoritate magno, Paris  
1718



Datum

REGIONOMIA  
Typis LAURENTII SEGERADI  
CAR. DC. LXXXV

σὺν θεῷ  
T H E S I S I.

DE Baptismo, primo N. T. Sacramento a Quorumihi duo potissimum consideranda esse videntur. 1. Est ὀνοματολογία 2. παραγωγολογία.

2. ὀνοματολογία merito primum obtinet locum, si quidem auctore Fetto, nomen dicitur quasi novimen, quod in ipsius rei notitiam perducatur, & ὀνόματα Græcis sunt ὡς ὄντων νοήματα.

3. ὀνοματολογία tria continet 1. Etymologiam; descendit itaque Baptismus ἀπὸ τῆ βαπτίζειν, quod est in aquam immergere, vel aqua tingere, aspergere & abluere, unde βαπτισμός & βάπτισμα immersio seu aspersio. Quod probè notandum est, tum contra Pontificios, tum contra Calvinianos, qui vocem Baptismi simpliciter immersionem in aquam, & non etiam asperionem propriè significare fervidè contendunt. Bellarm: lib: 1. de Baptism c) Calvin: lib: 4. inst: c. 15. Beza Epist: Et 2. Keck: in Syst: Theol: lib: 3. c. 8. Contra quod est Pauli verbum Synonymon λατρεῖν Eph: 5. v. 26. Tit: 3. v. 5. & βαπτίζειν Marc: 7. v. 4. ubi Pharisei à foro venientes, si se non baptizassent haud comedisse leguntur; & Phariseus Luc: 11. v. 38. Christum ad prandium invitans illum non prius Baptizatum esse admiratur. Quis verò dicet, lotionem hanc Phariseorum, intelligendam esse de totius corporis in aquam immersione, & non potius manuum abluitione?

4. 2. Homonymiam. Sumitur enim vel metaphoricè triplici modo 1. pro Cruce & Calamitate Matth: 20. v. 23. Marc: 10. v. 38, Luc: 12. v. 50. Hinc Baptismus Sanguinis



guinis qui veteribus erat martyrium, quo fideles suo sanguine Christianam fidem professi sunt. 2. pro Effusione donorum Spiritus Sancti miraculosa & visibilia Matth: 3. v. 11. Marc: 1. v. 8. Luc: 3. v. 16. Act: 1. v. 5. c. 11. v. 16. Hinc Baptismus Flaminis, uti ab alijs appellatur.

3. Pro transitione illa miraculosa per mare rubrum, semel duntaxat, nimirum 1. Cor: 10. v. 1. 2.

5.  
*Synechdochicè* pro doctrina Johannis, qui baptizavit, atq; adeo protota ejus institutione ac ministerio accipitur Matth: 21. v. 25. Luc: 10. v. 4. Act: 18. v. 25. c. 19. v. 3.

6.  
*Specialiter* pro immersione in aquam sive affusione vel asperione aquæ. Hinc Baptismus Fluminis, qui est salutare illud Sacramentum de quo hinc disputatur. Sed nos distinctionem hanc inter Baptismum Sanguinis, Flaminis & Fluminis, accipimus tantum ut distinctionem nominis, non ut rei. Baptismus enim unus est, Eph: 4. v. 5.

7.  
3. *Synonymiam*. Baptismus enim vocatur *λατρὸν* lavacrum Eph: 5. v. 26. Tit: 3. v. 5. Act: 22. v. 16.

8.  
*Hactenus* vidimus *ὀνοματολογία*, quam rectè quod dicitur talo, sequitur *πράγματιλογία* quæ definitione absolvitur. Quæ sit talis: Baptismus (prius N. T. Sacramentum) est hominis vivi in aquam immersio (sive asperio) in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: ut regeneretur & renovetur.

9.  
In definitione hâc perpendenda accurrunt.  
*Genus* 2. *Differentia* 1. *Genus* in definitione est immersio sive asperio. 2. *Differentia* specifica sumitur à causis, efficiente, instrumentali, formali, effectis & objecto  
*Efficient*

10.

*Efficiens causa est vel Principalis vel ministerialis*  
*Principalis seu author primus Baptismi DEUS est, sive*  
*tota S. S. Trinitas quod pater ex facta in N. T. institu-*  
*tione.*

11.

*Institutio in N. T. facta est vel ante vel post mor-*  
*tem & resurrectionem Christi. Ante Passionem ac mor-*  
*tem Christi à DEO uno ac trino ad baptizandum judæ-*  
*os potissimum Baptismus institutus est, quando Domi-*  
*nus ipse à Johanne baptizatus est, Matth: 3. v. 16. (unde*  
*Johannes dicitur Baptista Matth: 3. v. 1.) qui missus à*  
*DEO cœlitus Matth: 21. v. 25. Marc: 11. v. 30 ex divi-*  
*no mandato Luc: 3. v. 2. Joh: 1. v. 33. & ex DEI Consilio*  
*Luc: 7. v. 29. 30. baptizavit, & tota S. S. Trinitas ejus-*  
*dem Baptismum mirandâ *Jeo Pavia* consecravit Matth:*  
*3. v. 15. 16.*

12.

*Errant igitur Pontificij Concil: Trid: c. 1. de*  
*Baptism: Bellarm: lib: 1. de Baptif: c. 20. & seqq: affe-*  
*rentes, Baptismum Johannis non fuisse Sacramentum*  
*idem cum Baptismo Christi, nec eandem habuisse vim*  
*& efficaciam, quam habet Baptismus Christi, Nos*  
*contra statimus, unum & eundem fuisse baptismum*  
*Johannis & Christi, 1. ratione causa efficiens, quia à*  
*DEO uterq; fuit institutus. 2. ratione materia, quia eti-*  
*am Johannes baptizavit aqua. 3. ratione forma: quia Jo-*  
*hannes & in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. Bapti-*  
*zavit, quod tam diu verum erit, donec contrarium à*  
*Bellarmino negante ex scriptura probetur. de quâ D.*  
*Gerhard: 5. 16. & 17. de baptif: 4. ratione finis & effectus*  
*quia Johannes teste Luc: 3. v. 3. baptizavit quoq; in re-*  
*missionem peccatorum, & de ejus baptismo asserit Joh:*  
*3. v. 5. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non*  
*poterit introire in regnum DEI. Circumstantia tamen*

A 3

alie

31

37

3

40

4

4

alia sunt : quia 1. Johannes baptizavit in Christum adhuc passurum: Apostoli verò in passum & mortuum 2. Christus magisterialiter igne baptizat & Spiritu S. Johannes & ministeri reliqui aqua ministerialiter.

13.

Post mortem & resurrectionem suam Christus institutionem illam quasi renovans, repetens ac promulgans baptizari iussit tam gentes quam Judæos Matth: 28. v. 19. Mar: 16. v. 15.

14.

Ministerialis Baptismi causa est vel ordinaria vel extra ordinaria.

15.

Ordinaria sunt omnes Ecclesie ministri ad Evangelij prædicationem vocati, quibus expresso mandato baptizandi potestas concessa est Matth: 28. v. 19. Horum ministrorum primus fuit Johannes, ut supra dictum, deinde discipuli Christi, partim ante Joh: 3. v. 22. cap: 4. v. 2. partim post passionem Christi baptizantes Act: 2. v. 41. c. 8. v. 38.

16.

Quæri hinc solet, an ipse Christus Baptismum administrarit: Nicephorus lib. 2. cap. 3. Franc. Suaret tom. 4. p. 220. Bellarm. lib. 1. de Baptism: c. 23. affirmant; Christum suis manibus baptismum aquæ contulisse Petro; qui deinde fratrem suum Andream & filios Zebedæi baptisavit. Quod refutatur à Johanne c. 4. v. 2. Jesus ipse non baptizabat, sed discipuli ejus. Causæ autem ob quas Christus ipse non baptizavit exponuntur à D. Gerhard: 5. 18.

17.

Pertinet igitur ordinaria Baptismi administratio ad Ecclesie Ministros, Mysteriorum divinatorum dispensa.

dispensatores 1. Cor: 4. v. 1. 1. Tim: 3. v. 5. Errant itaq[ue]  
 1. Pontificij hinc distinguentes inter ministros ordinari-  
 os ex officio, quales sunt Episcopi & Sacerdotes, qui-  
 bus solus jus baptizandi ex officio ordinario Conveni-  
 re dicunt. 2. inter ministros ordinarios ex commissione  
 quales sunt Diaconi, quos non nisi ex commissione E-  
 piscopi aut Sacerdotis solenniter baptismum admini-  
 strare posse contendunt, 3. inter ministros extra ordi-  
 narios in Casu necessitatis, quales sunt Omnes omni-  
 nò homines, cujuscunq[ue] vel sexus vel religionis, si  
 sciant ritum Bellarm: lib: 1. de Baptismo c. 7. & Greg:  
 de Valent: tom. 4. disp: 4. quest: 2. punct: 1. Verum ex  
 scriptura scimus ordinariè & ex officio omnibus Eccle-  
 siae ministris ex æquo Competere jus & potestatem ad-  
 ministrandi Baptismum. 2. *Anabaptiste* qui admini-  
 strationem Baptismi ordinariam etiam mulieribus per-  
 mittunt, contra dictum 1. Cor: 14. v. 40.

18. Controversia hinc pertinet, de *Qualitatibus mini-  
 stri Baptizantis*. An videlicet ad Sacramenti integrita-  
 tem & efficaciam requirantur in Ministro 1. *Vocatio le-  
 gitima*. 2. *fides recta*. 3. *Vita pura*. Hinc tenemus hanc  
 generalem regulam: Ministerij Ecclesiastici vis atq[ue]  
 virtus non pendet à qualitate ministri sive dispen-  
 satoris, sed ex DEI illud instruente, veritate & po-  
 tentia.

19. Ex prima fuit hæc questio, *An illegitimè vocatus  
 Cathedram tamen Ecclesiasticam occupans, Baptismum le-  
 gitimum & verum conferat*. Quod affirm: ex Matth: 23.  
 v. 3. Contra Calv: lib: 4. instit: cap: 20. & ejus assecclas  
 in Colloq[ui]o Mompelgart: p. 435. vitia enim personalia  
 ministri non Corruptunt aut destruunt ministerium,  
 in quo

in quo divina institutio observatur. *Quemadmodum*  
Pharisæorum Circumcisio fuit vera, tametsi ipsi essent  
Corruptissimi

20.

Ex secunda fuit quæstio: *An Baptismus ab Hære-*  
*sico collatus sit legitimus* ubi Respond: adhibita distinc-  
tione inter hæreticos, quorum quidam Baptismi sub-  
stantialia Corruptunt, idq; vel manifeste, vel occultè,  
Quidam verò non, de qua prolixè D. Gerhard: S. 23.  
31. tom: 2.

21.

Ex tertia fuit quæstio: *An intentio Ministri re-*  
*quiratur ad integritatem Baptismi?* Pontificij intentio-  
nem hanc ita putant necessariam, ut sine ea perfectum  
esse Sacramentum negent: Id quod Donatistarum erro-  
ri valdè apparet affine, concil: Trident: sess: 7. Can:  
II. Bellarm: lib: I. de Sacrament: cap: 37. Nos verò Neg,  
Ex illo Philipp: I. IS. & August: tract: 5. in Johann: Ba-  
ptismus talis est, qualis ille in cujus potestate datur,  
non qualis ille, per cujus ministerium datur. Qua-  
propter hoc axioma hîc diligentissimè notandum:  
veritas Sacramenti non nititur moribus, fide vel in-  
tentione ministri, sed institutione DEI, si forma ejus  
servetur, vid: D. Fink: cent: IV. Canon: 37.

22.

*Extra ordinaria Baptismi causa ministerialis sunt*  
homines privati, tum viri, tum mulieres, *in summo*  
*videlicet necessitatis casu* quando copia ordinarij Mini-  
stri haberi nequit.

23.

Pro confirmatione nostræ sententiæ facit 1. Quod  
omnes Christiani, sive mares sunt, sive feminae etiam  
extraordinariè & in casu necessitatis docere possunt;  
Etiam

Etiam Prophetandi docendiq; locum publicum, extra peculiarem necessitatis casum obtinuisse leguntur ut Debora Prophetissa jud: 4. v. 4. Hulda 2. Reg: 22. v. 14. Hanna Luc: 2. v. 38. Philippi filia Act: 21. v. 9. Et Priscilla uxor Aquilæ, judæi conversi, una cum marito suo erudit in via Domini præclarum primitivæ Ecclesiæ Doctorem Apollinem Act: 18. v. 26. quam Paulus Apostolus suam in Domino non dubitat appellare coadjutricem Rom: 16. v. 13. 2 Quia in V. T. circumcisio in casu necessitatis à fœminis administrari potuit, ut Zephora Exod: 4. v. 25. 1. Macc: 1. v. 63 & 2. Macc: 6. v. 10. 3. Quia fœminæ sunt membra Ecclesiæ & coheredes gratiæ vitæ 1. Petr: 3. v. 7. & tam viros quam fœminas in casu necessitatis in Ecclesia Baptismum administrasse, testis est Tertull; lib: de Baptism: Ambros; Tom: 5. com m. in Epist: ad Ephes: c. 4.

24.

*Materia* Baptismi est, *res terrena & cœlestis*. Quemadmodum enim omne Sacramentum duabus hisce rebus constat, juxta irenæum, ita etiam Baptismus.

25.

*Res terrena* est aqua, sive fluvialis sive fontana, Quod probatur 1. Ex DEI mandato Joh: 1. v. 33 c. 3. v. 5. 2. Baptistæ & reliquorum Apostolorum exemplo Matt: 3. v. 6. & 16. Marc: 1. v. 5. Luc: 3. v. 16. Joh: 1. v. 26. Act: 8. v. 38. c. 10. v. 47. 3. D. Apostoli testimonio Eph: 5. v. 26.

26.

Errarunt igitur olim *Gnostici*, qui aquam naturalem ad Baptismum necessariam esse negabant, teste irenæo lib: contra hæret: c. 18 quos secuti sunt *Manichei* teste August: hæret: 46. Et *Seleuciani*, teste eodem hæret: 39. & *Jacobita*: qui candenti ferro Characterem

B

crucis

33  
crucis baptizatorum frontibus inurebant, quia scriptum sit: ipse baptizabit vos igne, ut testatur Bernhardus Luculburgensis: ut & *Monachi flagellantes*, qui baptismum ex proprio sanguine, flagellis ex corpore excusso, conficiendum nugabantur; ut annot. Trithem: in Chron: *Beza* volum: 3. oper: Epist: 2. p. 196. statuentes deficiente aquâ, quovis alio liquore baptisari posse. At nos fatius esse judicamus baptismum omittere, quam usum aquæ mutare, ut monet etiam August: tract: 15 & so. in Johan: Nam in substantialibus Sacramentorum, mutatio locum nullum habet.

27.

*Res cœlestis* in baptismo, juxta verbum institutionis, est tota S. S. Trinitas, Pater, Filius & Spiritus S. ingreditur autem Spiritus S. baptismum tripliciter & ratione causæ efficientis, quia est ipse author Baptismi, opera n. S. S. Trinitatis ad extra sunt indivisa. 2. ratione causæ materialis, quatenus una cum Patre & Filio, res est cœlestis. 3. ratione usus sive effectus. Per Baptismum enim Spiritus S. efficax est, & à peccatis nos emundat, & ad novam spiritualem vitam regenerat Tit: 3. v. 5.

28.

*Forma* Baptismi, est immersio hominis in aquam sive aspersio vel affusio aquæ, in nomine Patris, & Filij & Spiritus Sancti, juxta verba institutionis Christi Matth: 28. v. 19.

29.

*Immersio* sive aspersio est necessaria propter mandatum Christi Matth: 28. v. 19. per inde igitur est, sive totus homo immergatur in aquam, sive aspergatur vel affundatur aquâ vid: thest: 3. utrum verò aspersio illa fieri debeat in fronte, sive in pectore, sive in toto Corpore

33  
Corpore, itemq; unâ vel duabus vicibus de eo nullum  
in scriptura extat mandatum, Ex itaq; adia phoron.

30.

*Recitatio* verborum in nomine Patris, & Filij &  
Spiritus S, omninò & præcisè sunt retinenda, nec  
pro ijs alia substituenda: cum omnis Sacramenti for-  
ma ex ipsa institutione dependeat, quæ si mutetur non  
amplius est verum Sacramentum; Fideliter ergò no-  
stræ Ecclesiæ sequuntur hanc rationem ut baptizaturus  
minister infantem aspersum seu affusum aquâ, dicat:  
Ego te Baptizo in nomine Patris, & Filij & Spiritus  
Sancti. ubi verbo: Ego Baptizo, comprehenditur tota  
actio nempe DEI, & ministri Sacramentalis, idq; in  
præsenti, baptizat enim minister non suo, sed DEI no-  
mine, adeoq; ipse DEUS per ministrum baptizat:

31.

Quæritur hîc; *An non Apostoli formam Baptismi  
mutarint*, quando Act: 2. v. 38. & cap: 19. v. 5. leguntur  
baptizasse in nomine Christi? Respond: Non ibi for-  
ma Baptismi describitur sed causa efficiens Principa-  
lis, nempe Christus, qui Baptismum instituit; D. Ger-  
hard. S. 91. Erravit igitur Nicol: 1. Papa asserens, Bapti-  
smum tantum in nomine Christi collatum etiam esse  
ratum dist: 4. de consecrat.

32.

Errarunt igitur circa formam Baptismi *Gnostici*,  
qui baptizarunt, in nomine ignoti Patris omnium,  
& in veritate matris Omnium & in nomine descen-  
dentis Jesu ad unitionem & redemptionem & com-  
munionem virtutum, irenzus lib: 1. c. 19. & Euseb:  
lib: 4. hist: c. 10. *Eunemiani*, qui baptizabant in nomi-  
ne DEI increati, & Filij creati, & Spiritus sanctificati  
Ephiph: haz: 76. *Arriani*, qui baptizarunt in solo

B 2

Patre



Patre vero DEO, in Jesu Christo Servatore & creatura,  
& in Spiritu Sancto utriusque servo, Hieronym: ad vers:  
Luciferianos. Athan: serm: 3. contra Arrianos, Bern-  
hardus Epist: 340. meminit quorundam qui in DEI  
sanctaeque crucis nomine baptismum administratum ap-  
probarunt. 33.

*Finis & Effectus* Baptismi geminus est: *propinquus*  
& *immediatus*, 2. *remotior & mediatus*. *Propinquus est*  
*regeneratio & renovatio spiritus Sancti*. Nam baptismus  
organon illud legitimum est, à DEO institutum, per  
quod renascimur, sive regeneramur in filios DEI Joh:  
3. v. 5. unde ab Apostolo Tit: 3. v. 5. lavacrum regene-  
rationis nominatur. Quae regeneratio remissionem  
peccatorum Act: 2. v. 38. Act: 22. v. 16. sanctificatio-  
nem Eph: 5. v. 26. infusionem in Christo Rom: 6. v. 3. 4.  
individuo nexu copulatam habet.

34.

Quaeritur, *An Baptismus sit necessarius?* Affirmè:  
Joh: 3. v. 5. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu,  
non potest introire in regnum DEI, quae tamen neces-  
sitas non est praecisa & absoluta, ut nullum admittat  
exceptionem, sed est ordinationis divinae, Ergò illa  
necessitas non opponitur libertati DEI extraordina-  
rijs actionibus servatae. Et valet etiam hic regula: *non*  
*privatio sed contemptus Sacramenti damnat* Non possunt  
autem nec debent pro contemptoribus Sacramenti haberi,  
qui morte praeventiuntur, vel alia necessitate impedi-  
untur, quo minus, licet expectant, baptizentur, & qui  
contra voluntatem, Baptismo privantur, alia verò  
ratio est eorum, qui baptismum habere possunt, & ta-  
men aspernantur. 35.

*Finis & effectus* Baptismi *remotior*, est *ipsa salus*,  
*beatitudo & vita aeterna*, juxta verba promissionis,  
Marc:

Marc: 16. v. 16. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: Hinc & 1. Petr: 3. v. 21. baptismus dicitur nos saluos facere & v. 20. comparatur cum arca Noe, in qua ipse cum tota sua familia seruatus est, toto mundo extra illam pereunte. 36.

Circa *Finem & effectum* Baptismi peccant alij in *Excessu*, alij in *Defectu*. in *Excessu Pontificij*, peccatum simpliciter in Baptismo deleri & tolli statuentes: nos verò cum Augustino dicimus, Baptismo peccatum tolli, non ut non sit, sed ut non imputetur. Manet enim in renatis peccatum inhabitans, & ad prava trahit: Unde in nobis est, quod perpetuo legi repugnet: alioquin hortationibus opus non esset: Rom: 6. v. 12. 13. confer: Gal: 5. v. 17. 1. Petr: 2. v. 11.

37

In *Defectu Calviniani*, docentes, Baq̃tismum non esse lavacrum regenerationis, sed tantum signum, cum tamen scriptura expressè affirmet, Baptismum organon esse, siue medium, per quod regeneratio verè & re ipsa, virtute Spiritus S. efficitur, & non tantummodo significatur vel obsignatur. Et si enim aqua per se hanc vim & efficaciam non obtinet, neq̃ ita eam accipit, ut sit ipse propria: tamen quemadmodum Domino visum est, per stultitiam prædicationis, h. e. prædicationem Evangelij, quæ stulta hominibus videtur, saluos facere credentes 1. Cor: 1. v. 21. ita non minus visum est DEO per aquam Baptismi & Spiritum S. nos regenerare, renovare & cætera nobis beneficia conferre. vid: thes: 33. Quæ de nuda significatione, vel etiam obsignatione tantummodo nec possunt, nec debent intelligi. 38.

*Subiectum* Baptismi, hoc est, baptizandos, quòd attinet, sunt illi *vel adulti, vel infantes*. *Adulti* baptizari ante

ante non debent: quam ex auditu verbi fidem in Christum perceperint, juxta mandatum Christi Matth. 16. v. 19. & exemplum Apostolorum. Nam Act: 2. v. 41. dicitur. Qui libenter receperunt sermonem ejus baptizati sunt: & c. 8. v. 37. baptizatur Eunuchus ille, postquam credidit. Atq; ita quidem his non primum per baptismum fides, aut quæ per illam est regeneratio & peccatorum remissio confertur, confirmatur tamen promissione, per hoc quasi sigillum, ob signata: Sic enim circumcisio in cujus locum successit baptismus dicitur Abrahamo fuisse *σφραγίς* seu sigillum justitiæ fidei Rom: 4. v. 11. 39.

Quæritur hinc: *An hypocrita accipiant verum baptismi Sacramentum?* Respond: accipiunt quidem verum Sacramentum materialiter, at non effectivè h. e. non quoad salutarem fructum, sed ad judicium, haud secus ac indigni cæcæ Sacramentum accipiunt I. Cor: 11. v. 29. 40.

*Infantes Christianorum*, sine mora baptizandos esse, ut remissionem peccatorum & gratiam regenerationis accipiant, probari potest: 1. Ex universali Christi mandato Matth: 28. v. 19. 2. Apostolorum praxi & exemplo Act: 16. v. 15. 33. c. 18. v. 8. 1. Cor: 1. v. 16. 3. Ex peccati Originalis contagio, in quo & cum quo infantes nascuntur Joh: 3. v. 6. Psal: 51. v. 7. Job: 14. v. 4. Rom: 5. v. 14. Eph: 2. v. 3. 4. Ex liberali misericordissimi Dei promissione Gen 17. v. 7, 10. Matth: 18. v. 14. c. 19. v. 13. Marc: 10. v. 14. Luc: 18. v. 16. 5. Ex aditu ad Baptismi beneficia infantibus obvio Tit: 3. v. 5. Joh: 3. v. 5. 6. Ex generali Ecclesiæ termino Eph: 5. v. 26. Gen: 17. v. 7. 7. Ex Circumcisionis typo Gen: 17. v. 12. Coll: 2vii. s. Patrum orthodoxorum suffragio Dionys: lrb; Eccles. Hierach: cap: ultim: Justin: irenzi & aliorum vid: D. Gerhard; s. 191. Errant

41.

Errant igitur *Anabaptista*, qui parvulos baptizandos esse simpliciter negant, quorum furorem tuentur & novi Photiniani de quo Catech. Racoviens. p. 225.

42.

Quæritur hîc; *An liberi Christianorum parentum sint infedere D E I ante baptismum?* Calviniani affirm: Calv: lib. 4. instit. c. 15. sect. ult: Beza parte 2. resp: ad colloq. Mompelg p. 102. Nos verò Neg: 1. Ex scriptura testimonijs quæ de propagatione peccati originalis agunt, ita universalia ut, ipsos etiam fidelium liberos complectantur. Job: 14. v. 4. Joh: 3. v. 6. 2. Ex illis quæ in specie de fidelium parentum liberis agunt, eosdemq; peccati originalis reos peragunt Gen: 5. v. 3. Psal: 15. Eph: 2. v. 3. 3. Ex illis quæ testantur non generationem sed regenerationem facere filios D E I Matth: 3. v. 9. Joh: 1. v. 13. Huc pertinet dictum Tertull: in Apoc: c. 17. Fiunt non nascuntur Christiani & Hieronym: Christianos non facit generatio, sed regeneratio.

43.

Quæritur; *An infantes credant, fidemq; habeant?* Affirm: contra *Anabaptistas* qui fidem infantibus simpliciter denegant. Sententiam nostram confirmamus 1. quia scriptura ipsis expressè fidem tribuit Matth: 19. v. 6. Marc: 9. v. 42. 2. Quia ipsis tribuit effecta & proprietates fidei Psal: 8. v. 3. Matth: 21. v. 17. Psal: 22. v. 10. 3. Quia placent DEO, quod probatur ex historia de parvulis Christo allatis Matth: 19. v. 13, 14, 15. 1. Reg: 14. v. 13, probationes hujus sententia plures habet D. Gerhard: S. 222. contra quas Bellarm: & Beza multas producunt exceptiones S. 218. & seqq.

*Adjuncta*

31  
37  
40  
4  
4

*Adjuncta* Baptismi appellare solemus illa, quæ præter causas essentielles & partes *συνεπικὰς* in ejus administratione observantur, eaq; potissimum tria sunt 1. *Ceremonia* 2. *tempus* 3. *locus* 1. *Ceremonia* illæ servanda sunt, quæ sine peccato servari possunt, & profunt ad bonum ordinem. *Exorcismus* inter liberas Ceremonias antiquitus fuisse constat ex Patribus, nominatim Augusti lib: 2. de nuptijs & concupis: c. 18. & lib: 2. de peccorig: c. 40. Liberum quoq; Christianis est, quocunq; tempore baptismum administrare, ut qui ad nullum tempus sunt alligari Gal: 4. v. 9, 10. Coll: 2. v. 16. Apostoli quocunq; locorum baptizarunt: vid: Act: 2. v. 41. & cap: 5. v. 38. consuetudine verò introductum, ut hodiè in templis baptismus administratur. Excipitur autem, Casus necessitatis.


Ποικίλα ἄμμιν ἐπειὴ ἔδωκε χάρισματὰ θεῖον  
 ὁ λβιός ἐστιν ἀνὴρ μὴ κρύπτων δώροτα αὐτοῦ  
 Ἄλλ' αἰνῶν θεὸν αἰδίων ἰὼν ἀνακλᾶ κρατούνηων  
 Ἡδὲ βροτοῖσιν ὑπεργῶν εὐνοικῶς ἐπιχαίης.  
 Τύνη πρᾶξασκες ἰῶνν τὰ δέοντα φιλιζε  
 Ἐγχειρῶν σοφίην μεγάλην μεράλοιο θεοῖο  
 Ἐκφερέμεν, ἰβ' σεμνολογείν θεὸν ὑψιμέδοντα,  
 Ἡδὲ ὑπεργεῖν πῶς ἀραπῶσι τὰ γραμματὰ θεῖα  
 Ἐγχείρημα σέθεν πρᾶξις τ' ἰθυνέτω αἰὲν  
 Παμμεδέων ὁ θεὸς τῷ πμῆ ἔσω ἀγήρωσι


*Hicce Humanissimæ & Literatissimæ*


*Dn: Respondenti gratulari  
 voluit*

*Johannes Hassius Lunaburg.*


✠











3.  
 CUM DEO VIVO!

DISSERTATIONIS  
 LOGICO-THEOLOGICÆ

De  
 CULO VIVENTIUM,

Qui habetur

Sam: XXV. versic. 29.

*Proœmium.*

*Fasciculo Viventium* acturi, quo de  
 ur sapientissima Abigail I, Sam, XXV, 29,  
 ncepturi sumus prolixam totius istius  
 uæ operosior futura esset, sed de hoc in-  
 rimus, quid ipse *Fasciculus Viventium* sit,  
 ertationis faciemus *Tria Membra*. In I.  
*s Voces*, inprimis *Nomen*  $\text{רָבִי}$  *Fasciculi*,  
*riusvè Rabbini* de *Fasciculo Viventium*  
*entiam*. In III. *Christianorum Doctorum*  
 ucemus, &, quæ nobis sequenda videas.  
 Ut Lectori Benevolo nostrum cona-  
 ostra non displicitura speramus: Sic DEI  
 am & auxilium expectamus.

*Membrum Primum.*

idem *Etymologia* Vocis proprietatem declarat,  
 liorem rei cognoscendæ præparationem ostendit,

A 2

dit,

